

74<sup>r</sup>  
 sola fide, qua simpliciter Deo laudem  
 sapientiæ, veritatis & omnipotentia  
 tribuit. Hanc fidem Noach prædicat  
 Apostolus Hebr. II. *Per fidem admonitus  
 diuinitus Noach de iis, quæ nondum videban-  
 tur veritus apparauit arcam, ad seruandam  
 domum suam, per quam arcam condemnauit  
 mundum, & iustitiæ fidei factus est heres. Di-  
 scamus & nos exemplo Noach, Deo*

A præcipienti etiam difficilia vel impos-  
 sibilia absque cunctatione obtempera-  
 re, & non attendere carnis rationes:  
 quia ipse vt optimus, ita sapientissimus  
 nouit omnia nostra: & potentissimus  
 potest præstare promissa. Ne igitur pa-  
 tiamur nos ab eius verbo abduci, sed si-  
 namus eum pro nobis sapere.

## CAPITIS SEPTIMI

### Argumentum, Vfus, Partitio.

**I**n tota mundi historia nulla exstat tristior, quam quæ hoc capite refertur de vniuersali diluui-  
 o, quo tam homines, quam bruta animantes vniuersa, paucis exceptis, horrendo Dei iudicio interie-  
 runt. Etsi enim multæ florentissima vrbes aliquando bellis & calamitatibus aliis leguntur deuasta-  
 ta, regna potentissima euersa, gentes populosissima ad interuersionem deleta: tamen nihil accidit vn-  
 quam aque tragicum, atque fuit hæc primi mundi, qui ad annum vsque 1656. summo cum flore ste-  
 terat, in altissimis aquis submersio. Memorantur à profanis scriptoribus diluuiæ aliquot: Samo-  
 thracium, quo magna pars Asia absorpta fuit. Deucalioneum, quod maximam Græciæ par-  
 tem aquis cooperuit. Niliacum, quod totam Ægyptum tempore Promethei inundauit. Verum  
 hæc partim sunt fabulosa, partim mala fuerunt particularia, in quibus non est periclitatus vniuer-  
 sus mundus. Commonefaciat nos igitur primum de ingenti ira Dei aduersus peccatum, præsertim  
 contemptum verbi diuini, securitatem carnalem, vagas libidines & grassationes tyrannicas, quibus  
 tam horribile supplicium mundus sibi attraxit. Deinde etiam de Dei misericordia in conseruandis  
 Ecclesiæ reliquiis, ne cum impio mundo deleatur.

Diod. Sic.  
 lib. 6. de fa-  
 bulo.  
 Iustin. lib. 2.  
 Apollod.  
 Bibli. lib. 1.

Sunt autem duæ capitis partes.  
 Prior describit ingressum Noach cum  
 familia & animalibus in arcam, iuxta  
 Dei mandatum, vsque ad versum 10.  
 Posterior ipsum diluuium.  
 In ingressu considerandum veniet.

1. Dei mandatum.  
 2. Noach & animalium obedientia,  
 & Dei præsentia.  
 In diluuium tempus & modus inunda-  
 tionis, & incrementi aquarum, & quæ  
 tunc petierint, quæ seruari sint.

## PRIMA PARS CAPITIS.

### Ingressus Noach & animalium in arcam.

- 1 Dixit ergo Iehoua ad Noach: Ingredere tu & tota domus tua in hanc arcam: quoniam te vi-  
 di iustum coram me in generatione ista.
- 2 Ex omni iumento mundo accipies tibi septena: marem & femellam eius: & ex omni iumen-  
 to, quod mundum non est, bina: marem & femellam eius.
- 3 Etiam ex volatilibus cæli septena: masculum & femellam ad viuificandum semen in super-  
 ficie totius terræ.
- 4 Quod post dies adhuc septem ego pluam super terram quadraginta dies, & quadraginta no-  
 ctes, & delebo omnem substantiam, quam feci, à facie terræ: LXX. addunt: ἀπὸ ἀρ-  
 ᾠπείων τε καὶ κτήνων.

5 Fecit